



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Confessionis Avgvstinianae, Et Avgvstanae

Hänlin, Georg

Friburgi Helvetiorum, 1592

VD16 H 131

Articvlvs 18 De Libero Arbitrio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29407

clusioni, quatuor à se posita loca; cum nè minimā quidem cūm Cōclusionē affinitatem habeant, sed ostendāt tantūm, vel Imperatorem, præterquam quòd terrena curat, etiam curare debere divina, eatenus nè in res divinas impunè peccetur, ut Primus: vel, Imperatores & Reges Deo servire, si in regno suo jubeant bona, mala prohibeant, nō solūm quæ pertinent ad humanam societatem; verūm etiam, quæ ad divinam religionem, ut Secūsus. Tertius externus prorsus, & à re præsentī alienus est: aliud enim non habet, quàm quòd licet in Christo nulla sit vel gentiū, vel sexus, vel conditionis distinctio, quòd tamē illa distinctio adhuc sit & maneat in cōversatione mortali. Quartus nihil aliud vult, quàm omnibus officijs esse in scriptura præscriptam vivendi normam; neq; quenquam ab honesta vivendi ratione excusari, quòd Sæcularis sit. Hæc omnia quid ad positam Conclusionem cōfirmandam faciant, divinent qui possunt; ego nihil video, video magis contrarium. Cætera loca adducta pro Conclusionibus concessis, quorsum opus est examinare, postquam ipsas Conclusiones recepimus: tamen addo, pleraque nihil facere ad rem, & esse in Augustino multò aptiora.



ARTICVLVS XVII.

DE EXTREMO IVDICIO.

Per omnia sanus, Catholicus & Augustinianus est.



ARTICVLVS XVIII.


DE LIBERO ARBITRIO.

Hic Catholicis cum Adversarijs per omnia, uti quidem hic ponitur, communis est; excepto eo, quòd in Conclusionē Quintaimmeritò damnantur illi, qui docent, *posse hominem sine Spiritu sancto solis natura viribus præcepta Dei facere, quoad substātiā actuum.* Cūm enim illi ipsi etiam in Conclusionē Prima ultrò dederint & confessi fuerint, *habere*

L bere

bere voluntatem humanam aliquam libertatem, ad efficiendam civilem Iustitiam, & deligendas res rationi subiectas; non apparet, cur hoc Secundum negent, illud verò statuant, siquidem unum & idem prorsus sint.

Vndè intelligitur, Pappum, & omnes Lutheranos nescire, quid Scholæ nominent substantiam actuum; cùm rem his verbis traditam negent, alijs ipsam confiteantur. Sed relegat Pappus in gratiam nostri, si libet & vacat, à se adscripta Testimonia, & significet nobis, quibus verbis Augustinus neget, posse nos facere præcepta Dei ex viribus nature, quoad substantiam actuum: aut si id nõ potest, fateatur se Augustino vim facere.



ARTICVLVS XIX.

DE CAUSA PECCATI.

SAnus est, Catholicus & Augustinianus. At, quid Pappus Luthero suo respõdet, qui expressè in Assertione articulorum damnatorum à Leone X. Pontif. artic. 36. scribit, *Liberum arbitriũ esse rem de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccare mortaliter: Item Deum mala opera in impijs operari: Item, Hominem nulla opera in manu sua habere: Item, non esse hominem in manu sua, etiam mala operantem & cogitantem, quia Deus operetur omnia in omnibus: Item, Liberum arbitrium esse figmentum in rebus, vel titulum sine re, quia nulli homini sit in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni; sed omnia evenire de absoluta necessitate. Quid Philippo? probante Luthero, necessariò omnia evenire in omnibus creaturis: Deum propriè omnia agere in creaturis, ut proprium opus Dei sit Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio: neg. id permissivè, sed potenter, Deum mala etiam facere: nullam esse contingentiam, sed necessitatem quandam, juxta destinationem Dei. Quid ad alia multò plura? quæ ad hunc, & præcedentem Articulum pertinent; an & in his Augustinus Lutheranus est?*